



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

X.

Idem in eodem. Si forte inter cetera quæ obiciuntur electo , aut postulato , seu alias promouendo ad aliquam dignitatem , euidentem scientiæ vel alium personæ defectum opponi contingat, in discussione obiectorum illum statuimus ordinem incommutabiliter obseruandum , vt promouendus super defectu ipso ante omnia subiiciatur examini , cuius euentus examinandis aliis aut dabit initium aut negabit. Ceterum si præmissi examinis exitus huiusmodi oppositiones docuerit veritate destitui , opposentes omnino a prosecutione causæ, in qua talia obiecerunt, excludimus, & perinde puniri decernimus , ac si penitus in probatione omnium quæ obiecerant defecissent.

X I.

Idem in eodem. Sciant cuncti, qui clericos vel quaslibet alias personas ecclesiasticas , ad quos in aliquibus ecclesiis , monasteriis , aut aliis piis locis spectat electio, pro eo quod rogati, seu alias inducti , eum pro quo rogabantur, siue inducebantur eligere , noluerunt , vel consanguineos eorum, aut ipsas ecclesiias , monasteria , seu loca cetera beneficiis , siue aliis bonis suis per se vel per alios spoliando, seu alias iniuste perseguendo, grauare præsumperint, se ipso facto excommunicationis sententia innodatos.

X II.

Idem in eodem. Generali constitutione sanctimus , vniuersos & singulos qui regalia , custodiad siue guardiam aduocationis , vel defensionis

Concil. Tom. 28.

B b b b ij

titulum in ecclesiis, monasteriis, siue quibuslibet aliis piis locis de nouo usurpare conantes, bona ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare presumunt, quantumcumque dignitatis honore præfulgeant, clericos etiam ecclesiarum, monachos monasteriorum, & personas ceteras locorum eorumdem qui haec fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ subiacere. Illos vero clericos qui se ut debent talia facientibus non opponunt, de prouentibus ecclesiarum seu locorum ipsorum, pro tempore quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere distictius inhibemus. Qui autem ab ipsarum ecclesiarum ceterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine iura sibi huiusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis solicite faciant abstinere, quod ea quæ non pertinent ad fructus siue redditus prouenientes vacationis tempore non usurpent, nec bona cetera, quorum se assertunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conseruent.

XIII.

Idem in eodem. Licet Canon a felicis recordationis Alexandro papa tertio prædecessore nostro editus inter cetera statuerit, ut nullus regimen ecclesiæ parochialis suscipiat, nisi vigesimumquintum annum ætatis attigerit, ac scientia & moribus commendandus existat, quodque talis ad regimen assumptus huiusmodi, si monitus non fuerit, præfixo a Canonibus tempore in presbyterum ordinatus a